


## Mart. 20. 1660.



QUandoquidem compertum est intra Academiæ limites, factiosos nonnullos & turbones oberrare, qui huic præcipuè incumbunt, ut lites serant, tumultus & pugnas cieant, in dedecus & dehonestamentum Literarum: Ut obviàm eamus inveterato isti & gliscenti adhuc hujus loci malo, visum est programmate hoc publico, singulis quotquot Regimini & Disciplinæ Universitatis subsunt, & Privilegiis ejusdem inibi fruuntur, notùm facere: Quod si quis deinceps, in istiusmodi flagitio deprehensus fuerit, qui vel ipse cum aliis pugnaverit, fuste, pugno, lapidibus, aut quovis alio modo quemvis ceciderit, vel impetiverit, dicteriis, aut Scripto quovis, alios lacessiverit, quo ad Seditiones & studia partium trahat & inter se committat, Sibilando, aut vociferando, indecorè & factiosè se gesserit, vel in Scholis publicis, vel plateis & vicis Urbis, aut concertantium circulis se aggregaverit, contra quod Pietatis & Modestiæ leges jubent, & plurimis Academiæ Statutis cautum est, ipso facto foras Ejicietur, & bannietur quippe violatæ pacis Academiæ reus, sine spe veniæ aut regressûs: ut reliquis malo suo Sobrietatis & Modestiæ documento sit.

PAVLVS HOOD *Vice-Can. Oxon.*

---

*Oxon.* Typis Academiæ LICHFIELDIANIS.

1659/60